



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 9. Alterius latronis conuersio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

§. IX.

Alterius latronis conuersio.

Eadem bonitas, in sexto exemplo atque alio quodam latrone, ad accendendam, in maximis etiam peccatoribus, spem eluxit.

Moses Ethiops, conditione seruus, propter naturæ suæ improbitatem, ex heri sui domo profugit: atq; ubi prædari didicisset, paulo post prædonum cohortis Præfectus fuit. Et cum nefaria multa scelera peregisset, & ad cædes patrandas audax factus esset, ex præfracta quadam temeritate monasticam ingressus est vitam, philosophariq; prorsus incepit, strenuè admodum ad virtutem grassans. Quòd autem priore vitæ instituto, & corporis valida constitutione, rursus ad voluptatem per imaginationes incitatus alliceretur, varijs exercitijs carnem domare summoperè contendit. Et quandoq; quidem solo pane, absq; obsonio usus, quandoq; autem, plurimo opere perfectò, ad quinquaginta, diè quolibet, preces fecit. Et sex continuis annis, noctes totas, per uigilio exegit, stans atq; orans: ita ut neq; genua inclinaret, neq; prorsus oculis ad somnum propendens conuieret. Porro noctu Monachorum domicilia circumiens, clam uniuscuiusq; hydriam auferebat, eamq; aqua repletam in locum suum reponebat. Idq; ingen-

Nice-
phor.
list. l. ii.
hist. Ec-
cles. c. 36.

tis laboris fuit, propterea quòd inde locus, ubi
 aqua fluebat, alijs quidem decem, nonnullis au-
 tem viginti, quibusdam etiam triginta studijs
 abesset. Perlongo verò tempore pristinum suum
 retinuit robur; quamuis multum studij in hoc
 collocaret, ut id debilitaret, & carnem diutur-
 na erumna extenuaret. Dicunt autè aliquan-
 do prædones eum quatuor, qui officinam quietis
 suæ percurrerant, cepisse, vinxisse, atq; in hu-
 meros, sublatis in Ecclesiam deportasse, & Pa-
 tribus, quid de eis statuerent: permisisse: nefas
 esse dicentem, ut in posterum mali quidquam a-
 licui ipse inferret. Neq; unquam quemquam fu-
 isse ferunt, qui tantopere mutatus a vitijs ad
 virtutem summam quam pertigit, pervenerit.
 Incredibilis verò fuit demonibus terror. Et,
 quod supra opinionem omnium est, presbyter e-
 tiam in Sceti factus est, cum quidem quam plu-
 rimos, eo tempore, quo latronum manũ duxe-
 rat, interemisset. Et quia talis erat, multos
 eòsq; optimos post se reliquit sectatores.

§. X.

Magnorum peccatorum conuersione perpensa,
 ingredi & alios in spem veniæ pecca-
 tores.

Hoc est, quod supra dicebam: nostra ex-
 istimanda esse, omnia eiusmodi bona, quæ
 dum